

4<sup>o</sup>  
Philos.  
1080

DISSERTATIO  
DE  
**I D E I S**  
**SENSVALIBVS**  
ET  
**INTELLECTVALIBVS.**

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO  
PRINCIPE AC DOMINO  
**F R I D E R I C O**  
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA

P R A E S I D E  
**CONR. FRID. ERN. BIERLING**  
LOGICES AC METAPHYSICES PROFESSORE  
ORDINARIO  
DEFENDET  
**IACOBVS HENRICVS VOLLMAR**  
HASSO - CASSELLANVS.

IN ACADEMIA ERNESTINA D. XXI MAII A. R. S. ccccxl  
AB HORA X VSQVE AD XII.

RINTELII

TYPIS IOH. GODOFR. ENAX ACAD. TYPOGR.

VIRO  
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO  
AC CONSULTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO HENR.  
THALMANN  
REGIMINIS HASSO - CASSELLANI ADVOCATO ME-  
RITISSIMO AC COENOBIORVM HAYNENSIS ET  
MERXHVSANI SYNDICO DEXTERIMO  
ADFINI ET FAVTORI SVO  
MVLTIS NOMINIBVS COLENDO  
PRIMITIAS STVDIORVM ACADEMICAS  
EA QVA PAR EST ANIMI OBSERVANTIA

DAT DICAT CONSECRAT

IACOBVS HENRICVS VOLLMAR.

AD  
BIBL. UNIV.  
MONAC.



DISSERTATIO  
DE  
IDEIS SENSVALIBVS ET  
INTELLECTVALIBVS.

CONSP ECT V S.

§. I. *De Ideis in genere quaedam proponuntur.*  
§. II. *Dividuntur in sensuales & intellectuales.* §. III.  
*Ideae innatae non dantur.* §. IV. V. *Consideratur axioma:* nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. §. VI. *Sensus non fallunt.* §. VII. *Si tamen non recte adibentur homines in errores.* §. VIII. *Vitia.* §. IX. *Et Superstitionem probabuntur.* §. X. *Ideae sensuales viuidius hominem adficiunt quam intellectuales.*

§. I.

**P**rima intellectus operatio est simplex apprehensio, seu ea, qua rem quan-  
dam vel vt praesentem, vel vt praeteritam & absentem nobis concipi-  
mus, simpliciterque repraesentamus.  
Adeoque idea nihil aliud, quam vel exemplar rei in  
cogitante, vel rei in mente repraesentatio, imago

A 2

&

& quasi pictura est. (a) Imaginis vero vocabulo nihil aliud indicamus quam quancunque rei, quam nobis repraesentamus, in intellectu nostro similitudinem; unde illam quoque in sensationibus pro sensuum diuersitate diuersissimam esse debere, per se patet. Etsi vero omnes ideae a sensibus oriuntur, hoc tamen inter illas intercedit discriminis, ut quae tanquam extra nos posita nobis concipimus nonnisi mediantibus sensibus externis cognoscere queamus; quae in nobismet vero ipsis contingunt, nonnisi mediantibus sensibus internis. Vnde quoniam experientia vocatur, quando ad id, quod sensibus nostris percepimus, attendimus, illaque inde & in intrinsecam & extrinsecam dispescitur, iam patet, quod omnis rerum, quae in nobismet ipsis contingunt, cognitio, ab experientia intrinseca vnicice pendeat. (b)

## §. II.

(a) Descendit illud vocabulum a verbo graeco *εἶδω*, *video*, & non solum notat effectum ipsum, simplicem appreheensionem, perceptionem, representationem; sed & id, quod ex effectu oritur, scilicet conceptum & notionem. Ita Theologus regenerationis, Ictus iurisdictionis, Medicus febris, Philosophus substantiae vel virtutis imaginem quasi mente depingit. Egregie IAC. THOMASIVS *in orat.* p. 282. Ideae vox gracula est, nec dubium, quin a spectando flexa, exemplum tale proprio significet, quod intueri solent, quibus exemplo similem imaginem effingere decretum est: quemadmodum vina facies hominis, cuius simulacrum in linteo delineat pictor, illi est pro idea. Agit quoque *loc. cit. p. 275. seqq.* de ideis platonicis exemplaribus. Adde LEHMANNI *Vern. Lehre* p. 135. seqq.

(b) De ideis conf. LOCKIUS *de int. hum.* lib. 2. ex quo o-

## §. II.

Etsi diuersissima sunt idearum genera, magna; illarum est varietas, non obstante tamen insigni hac varietate ac diuersitate, ad certas reuocari facile classes possunt, dum ad praecipua attendamus momenta. Oriuntur enim vel ex perceptione sensuum, vel ex meditatione, adeoq; sunt vel *sensuales*, vel *intellectuales*. *Sensuales*, quas & non incomodo *experimentales* vocare licet ex sensuum perceptione originem trahunt: *Intellectuales*, quas alii *reflexas* appellant, per meditationem semet offerunt. Quod sensus offerunt, simpliciter intellectus recipit: meditatio tanquam actus reflexus ex una vel paucis ideis innumeris colligit, ex visibilibus ad inuisibilia adsurgit. Obseruandum autem, illum qui ideam experimentalem habet, alteri eadem

mnes profecerunt, quibus huius argumenti accurata tractatio cordi fuit; CLERICVS *pneumatol.* *sect. I. cap. 5.* cel. HOLLMANNVS *introd. in vniu. philos.* *tom. I. p. 85. seqq.* Adde IAC. BRVCKERI *elegantissime conscriptam hist. philos. doctrinac de ideis* Aug. Vind. 1723. 8. Maxima elites excitatae sunt de natura idearum inter philosophos. CLERICVS autem *loc. cit. §. 15.* ita loquitur: *Nos hoc in negotio ἐπέχειν, & naturam idearum inter eanumerare, ad quorum cognitionem aut omnino peruenire haud licet, aut adhuc saltem non licuit, tunc censemus.* Neque hoc mirum videatur, quando ne mentis quidem ipsis natura nobis nota est; qua ignorata nunquam omnes eius operationes satis plene noscemos. Conf. omnino reu. WALCHII *Parerg. Acad.* p. 751. seqq.

(c) Potest & ita institui haec distinctio: dantur *ideae purae*, dantur *ideae sensuum ope excitatae*. Neque sensus quicquam docent, nisi per ideas quas excitant.

eadem destituto , nulla descriptione euidentem perceptionem rei, quam sentit, communicare posse. (d) Et exinde sequitur eas in classem idearum *simplicium* esse collocandas. Tales ideae simplices sunt, quae nullis constant partibus, in quibus plura ne mente quidem concipere possimus, (e) vel quae mentem uno duntaxat modo afficiunt. Huc pertinent ideae soni, odoris, gustus, existentiae. Ideae simplices non possunt definiri, sed percipi debent. Sic non potest definiri gustus mali persici, odor rosae, sonus signorum musicorum. Neque describi potest, qua ratione una idea simplex ab altera differat, v. c. odor lili ab odore rosae. Ergo de gustibus, de odoribus non est disputandum. (f)

### §. III.

Cum omnis cognitio a sensione originem ducat, facile patet non dari ideas actu innatas atque ingeneratas, ipsamque experientiam iis refragari. Multum autem logomachiae habet haec controuersia. Dari veritates, quas vbi percepit homo, ratione praeditus & praeiudicis vacuus, confessim admittat, quis neget? Sed num ideo dici possunt actu innatae? pro talibus ne quidem habentur a defensoribus idearum in-

(d) Sic hypochondriaci statum non capiunt alii, qui hoc malo nunquam laborarunt.

(e) Quis concipere potest particulam soni, assēm vel quincuncem odoris?

(f) Ideae *compositae* constant ex simplicibus, & possunt in partes diuidi, v. c. idea hominis, horologii, ideae virtutum & vitiorum.

innatarum, unde cadit tota controuersia. Paucis : intellectus innatus datur, facultas innata recipiendi ideas datur ; ideae actu innatae concipi haud possunt, quae forent instar liberorum, quos pater nunquam generauit, vel qui eandem cum patre haberent aetatem. Intellectum nostrum esse instar tabulae rafae siue nudae recte ARISTOTELES statuit. (g) LOCKIO magis placuit comparatio cum camera obscura. Aequa minus igitur ideae actu nobis innatae sunt, quam lingua vernacula. Quicquid sciunt homines, per meditationem, experientiam, institutionem didicunt. Adferri quoque solet ad probandas ideas innatas locus *Rom. II. 15*. Sed facile patet, Apostolum loqui, de dictamine conscientiae, non de ideis innatis. Inania igitur sunt quae de ideis innatis a multis, qui quid sibi velint, satis non intelligunt, docentur. Nec pluribus rem persequemur, quoniam ex dictis satis liquet, & qui plura volent eos adire poterunt, qui quaestionem hanc plenis libris excutiendam suscepserunt. Ostenderunt enim viri acutissimi nullam esse ideam, quae ab attentione in nosmet conuersa & sensibus, per varias diuisiones & copulationes originem non ducat. (h)

### §. IV.

(g) Vid. IAC. THOMASIVS *Dissert. p. II. seqq.*

(h) Vid. prolixe hac de re agens LOCKIVS *de intell. human. lib. I.* cuius dicta in compendium misit CLERICVS *pneumatol. sect. I. cap. 5. §. 16. seqq. 10. FABRICIVS consid. contr. p. 277. WEISMANNVS *schediasm. acad. p. 82. seqq.* & omnino qui sobriam adfert epicrisin BRUCKERVS *bist. phil. de ideis p. 269. seqq.* Qui ideas innatas statuant,*

§. IV.

Sed num verum est vulgatum illud: *nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu?* Est sane verum, tuunt, alterutrum horum nobis probare debent, nimirum aut aliquem fuisse, qui sine obiectorum exteriorum & consectorum occasione aut subfido, *Deum esse, partem minorem toto, aliquid virtuti consentaneum, vel viro affine cogitarat:* aut hafce ac similes ideas aliunde ad nos venire non potuisse. Neutrum autem vlla ratione ostendi potest. Nemo est, qui eiusmodi ideas, sine vlla obiectorum externorum occasione, sine consectorum auxilio, sine institutione ad animum suum adpulisse meminerit; aut qui quemquam fide dignum, qui de se talia iactet, norit. Si primi homines, sine extraordinario diuinae prouidentiae auxilio, has ideas abstractas animo versarunt, experientia & rationibus eo deuenire potuerunt. Si vero eiusmodi ideae a Deo extra ordinem eis suppeditatae sunt, hoc ad alios homines, qui eodem iure non gaudent, nihil attinet. Posterior tam facile cum institutioni maiorum, tum experientiae ac meditationi sua, quam naturae haec debere posunt. *Dei* idea composita est ex omnibus omnium rerum proprietatibus, a quibus omnes defectus remouemus; nec magis nobis quam ideae nauis aut domus natura infinita est. Si ipsi meditatione nostra sola eam formaremus, a posteriore ex consideratione demum creaturarum, adhibitis variis axiomatibus, ad eam deueniremus; & cum ab aliis nobis consideranda offertur, non prius eam intelligimus, quam partes quibus constat connumeratae nobis sint. *Axiomata metaphysica* quae aeternae veritatis

verum, si intelligatur de ideis experimentalibus. Neque enim intellectus cogitaret, nisi perciperet; non perciperet, nisi sentiret; non sentiret, nisi organa sensuum homini data forent. Ergo frustra excitare conamur ideam experimentalem, quae sensus hominum fugit. (i) Sed sunt tamen multa in intellectu, quae in sensus hominum non cadunt. Huc spectant inuisibilia, vt Deus, Spiritus; ideae intelligendi & volendi; ideae virtutum & vitiorum, iusti & iniusti; idea infinitatis intuitu numerorum spatii & duratio-

nis.

ritates dicuntur, abstractionis ope, ex obiectorum existentium occasione effinguntur. Innumeri sunt homines aut idiotae, aut barbari, qui de hisce nunquam cogitarunt; quod disciplinis in quibus de abstractis eiusmodi ideis sermo est, nunquam operam dede-  
rint, neque satis ingeniosi fuerint, vt quidquam simile per se inuenirent. Itaque ad hosce quod attinet, decantatae illae ideae innatae perinde fuerunt, ac si nullae essent. Ideas *virtutis* ac *vitiis* nequaquam innatas esse hinc liquet, quod exemplis & initiatione eas a parentibus, magistris iisque quibuscum viuimus, habeamus. Hinc fit, vt apud cultiores gentes sint magis perspicuae, quam apud barbaras; vtque tanta sit in humano genere circa virtutes & vitia dis-  
sensio. Ad disciplinam quidem & exempla aliorum accedit nostra meditatio necesse est, nisi velimus saepissime falli; sed hoc ipsum indicium est nullas neque nobis, neque aliis, innatas esse harum rerum ideas.

(i) Hinc nemo potest comprehendere gaudia & absolutissimam felicitatem vitae aeternae. vid. 1 Cor. II, 9.

nis. Haec omnia sua quapiam ratione in intellectu esse, quamquam in sensu non fuerint, nec esse possint, ecquis negauerit? Itaque non reiicimus distinctionem inter intellectum purum, & ideas sensuum ope excitatas. (k) Ille res inuisibiles, aeternas, sublimes, prima veritatis axiomata considerat, & rerum consecutionem nexumque expendit, simul praestantiam humanae mentis, modo abusus absit, prae anima brutorum, pulchre indicat. Sensus vero intellectui puro occasione praebere, ut ad altiora adsurgat, ab effectibus in oculos incurrentibus ad causas a conspectu longe remotas, a finitis ad infinita progrediatur, certum est.

## §. V.

Etenim Spiritus tam infinitus, Deus, quam finitus, anima humana, est in intellectu, non per se, sed per suos effectus: non a priore, sed a posteriore. Hinc oritur idea non euidens, non adaequata, sed ab intellectu quomodounque formata. Poteſt quoque dici abstractiua, vel demonstratiua. Deum existere ex effectibus firmiter colligo: eum esse ens summum & infinitum scio: quid sit ens summum & infinitum, neque scio, neque scire possum. (l) Animae naturam non satis capio: eam intelligere & velle exterior. Si imaginem mihi de ea formo, falsa est imago, quoniam non habet imaginem, quum spiritualis naturae

(k) Paucis sed argute WERENFELSIUS opus c. p. 782. rem expressit: *multa concipimus, quae non imaginamur: nihil imaginamur, quin idem prius fuerit in sensu.*

(l) De idea Dei conf. LOCKIUS loc. cit. lib. 2. cap. 23. §. 33. sqq.

turae fit. (m) Ideae vitiorum & virtutum fluunt ex sensione interna, & aliorum actionibus, quemadmodum & ideae iusti & iniusti. Tandem concipit quidem mens hominis dari infinitum, dari aeternum, (n) sed neque infiniti, neque aeterni ideam sufficientem habet. (o) Quicquid concipimus, terminis circumscriptum est, quod repugnat infinito.

## §. VI.

Sed num sensus non fallunt? non fallunt, quicquid enim non iudicat, non fallit, non errat. Sensus non iudicant, sed sunt intellectus, cuius est iudicium, instrumenta. Mens videt per oculos. Attamen flores arte factos pro veris, turrim quadratam e longin-

B 2 quo

(m) Qui imaginatione ad concipiendam animam vtuntur, idem faciunt, ac illi, qui vellent oculis vti ad percipiendos sonos, auribus ad lucem spectandam. vid. TVRRETTINVS opus c. var. gen. tom. 2. p. 421. Idea spirituali, qua gaudent Deus & angeli, in hac vita destitui-  
murus, Angelis aliquando aequales redditii, eleuatis  
mentis oculis plura videbimus.

(n) Nihil quod initium habuit, suae existentiae causa esse potest. Exstisisset alioqui antequam exstisisset, quum causa prior sit effectu. Ergo, quae initium habent, profecta sunt a prima quapiam causa. Haec initium non habuit, hoc enim si eam habuisse ponamus, se ipsam fecisset, essetque simul sui ipsius causa, sui ipsius effectus, quod maxime absurdum: proinde est aeterna. Datur ergo ens aeternum, necessario existens.

(o) Mens hominis concipit dari infinitum, quia tandem nihil amplius concipit. Habet ideam infinitatis numerorum, sed non habet ideam distinctam numeri infiniti. vid. LOCKIUS lib. 2. cap. 17. praecipue §. 8.

quo conspectam pro rotunda habere possum. (p) Bene addis: *e longinquo conspectam*. Sic igitur tene: sensis recte constituti, recteque adhibiti, nunquam fallunt. Et hoc explicandum distinetius. Sensus recte constituti sunt, quando nullo vitio, nullo morbo laborant. Hoc si laborant, non fallunt, sed prorsus inutiles deprehenduntur. Igitur mirum non est, ictericō omnia flava aut nigra, straboni duplicata apparere. Optimi cibi non sapere possunt palato aegrotanti. Instrumentum musicum omni harmonia destitutum non fallit, sed aut non tangendum, aut corrīendum est. Sensus recte adhibentur, si debitam adfers attentionem, mentisque tranquillitatem, si cibiecta nec nimis remota sunt, nec nimis propinqua, si non agitantur motu nimis celeri, aut nos ipsi agitamus.

(p) Huc pertinent quae de regina Arabiae narrantur. Adduxit illa in medium pueros puellasque vestitos muliebri habitu, iubetque Salomoni, mares a foeminis distinguere. Salomone ergo pira & poma iactante, cum pueri gremio e tunicis facto ea exciperent, pueriae vero manibus tantum missiles fructus captarent, prae modestia vestem tollere non audentes, facile sexus vtriusque apparuit discrimen. Similiter ostendit regina Salomoni e longinquo veros flores, aliosque ad imitationem verorum, e cere, summo artificio confictos, quaerens: num naturae ab artis floribus dignosceret? Hoc quoque expedivit Salomo, imperans, ut aluearium plenum apum afferretur, quibus emissis, veros flores illae delibabant, fictitious missos facientes, vid. WAGENSEILII *per. libr. iuuuen. tom. 3. p. 496. seqq.* FABRICII *codic. pseudepigr. VII. tom. I. p. 1031.* HVBNERI *Histor. Fragen tom. 9. p. 975. seqq.*

inur, si denique intermedium aer sufficienti lumine gaudet. Pertinent haec monita praecipue ad sensum visus & auditus. Ex his tandem sequitur, erroris occasionem sensus esse posse, nunquam caussam. Qui errat, iudicat falso. Sensus non iudicant, sunt enim intellectus instrumenta. Malleus non aberrat, quando clavis non recte infigitur, sed manus. Ad scopum iaculans, ab eoque vehementer deflectens, ignivomae fistulae culpam tribuere haud debet. Ergo iudicium intellectus errat, ista instrumenta non recte applicans, factaque legitima applicatione istum errorem emendat. (q)

### §. VII.

Qui vero sensus non satis circumspecte adhibent, quod faciunt, qui eos adhibent absque meditatione eaque rationali, facile in errores prolabuntur, vnde ideae falsae. Error autem in genere consideratus nihil aliud est, quam iudicium falsum, & quando illa

cu-

(q) Manifestum est, sensus externos propriè loquendo nos nunquam fallere; sed nosmet ipsos nos fallere, quoties intellectus falsam sensus externi (cuius perceptiones simili modo se inuicem consequuntur, quo veritates ipsius rationis inter se connectuntur) determinationem in iudicando sequitur, plus inferendo ex apparentiis quam ex illis sequitur, in quo iudicij praecipitatio consistit. Ad praecipitandum autem iudicium sensus internus intellectum determinat, dum ad credendum, quae saepe inter se connexa fuisse experti sumus, semper esse connexa, eum determinat. vid. BIBLIOTH. BREMENS. class. 5. fasc. 5. p. 879. & b. PARENTIS *Lineamenta meth. stud.* p. 71.

cumulantur, tunc nascitur & incrementa capit philosophia vulgi. Ita homines ante intellectus culturam putant stellas esse scintillas, colori caeruleo, qui coelum est, inhaerentes, iridem in nubibus realem esse, solem circumagi diuino motu circa tellurem, esse minorem globo terraquo, esse sine maculis. Coelum incumbere montibus altissimis, turrem e longinquo visam esse rotundam, terram non posse habitari ex parte nobis opposita, stellas omnes aequaliter distare a terra, terram nequaquam esse corpus, quod e longinquo lucem reflectat, & planetae in modum appareat. (r) Obseruamus autem quod corpus, & sanguinis diuersa mixtura, ex qua temperamenta oriuntur, falsorum intellectus iudiciorum caussae existere soleant. Quamquam enim corpus ipsum, eiusque partes, etiam subtilissimae, in se suaque natura nec possit cogitare, nec velle, quod spiritui proprium est, quoad tamen anima nostra cum corpore coniuncta est, ob arctissimum, quod inter eandem atque corpus intercedit vinculum, saepissime in veritatis cognitione a corporis dispositione & sensuum representatione impeditur. Constat enim eos, qui phlegmatico sunt temperamento, laboris esse fugientes, eaque propter, quae difficilia sunt, fugere, id quod de sanguineis etiam, ex parte saltem, potest affirmari. Cholerici quidem ambitione ad veritates varias acquirendas trahuntur, e contraria vero parte saepe sententiae suae, etiam falsissimae, ita inhaerent, ut alios omnes, veriora ac rectiora monentes, magno fastu

(r) Plura exempla dabit EULFFINGER *Dilucid. philos.* §. 330.

fastu correpti, spernant, quin & aliorum, ingenii laude clarorum, falsas hypotheses amplectuntur, vt in laudum veniant societatem. Melancholici tandem, diuitiis opibusque inhiantes veritatem tanti non aestimant, vt in ipsius inquisitione tempus consumant, curamque ponant. Illas certe sententias audiissime amplectuntur, quas si defendunt, multum rebus augendis inferuire posse credunt. De cetero, quando temperamentum inter errorum caussas referimus, minime putandum est, quod illud necessario homines in errores inducat, sed quod occasionem tantum malo praebeat, vel in errores incidendi, vel eosdem defendendi. Illud autem maximopere dolendum, quod homines longe facilius imitentur vitia, quam virtutem, adeoque abiecta veritate statim tales errores admittunt, immo oscitante uno oscitat & alter. (s) Quilibet autem, vel mediocriter circumspectans, tres potissimum caussas horum errorum deprehendet.

Vna

(s) Conf. M. IO. HENR. TWIETMEYER diff. *Cur errores & fallitatem facilis quam veritas propagantur?* Rostoch. an. 1730. Coniuetudinis magna immo tanta vis est, teste PLVTARCHO in comm. *de Ratione dignoscendi verum amicum ab adulatore*, vt imprudentes quoque imitentur vitia eorum quibuscum viuunt. Ridiculum fere est quod addit: *Platonis familiares eius gibbum imitabantur, Ariostolis amici balbutiem eius exprimebant, Alexandri Macedonum regis familiares cervicis inflexum & vocis in dicendo asperitatem effingebant.* vid. IO. HENR. BEKRIVS *de lenitate animi in rebus didicandis.* Lips. 1729. & cel. TREVER *de compendiaria eruditio.* Helmst. 1718.

Vna est, si notiones aut conceptus rerum sint vagi, minusque congrui, & voces quibus exprimuntur aut obscurioris, aut ambigui sensus. Secunda, si principia pro veris adsumantur, aut ad alia demonstranda adhibeantur, quae tantum veritatis speciem habent. Tertia, si circa res non satis cognitas ratiocinantes plus in conclusionibus ponimus, quam in principiis videmus. Absit autem a philosopho quam longissime, vt non curet an distincte dogmata sua proponat an secus. Absit, vt sumat potius veritates quam probet. Absit, vt historicè magis, quam dogmaticè progrediatur. Absit, vt sibi arroget facultatem aliis res suas persuadendi vel ventosis fermocinationibus, vel prouocationibus vagis, atque generalibus ad testimonia, ad sensum & auctoritatem vulgi, aut ad receptas ab antiquo opiniones. Absit, vt ea quae sibi imaginatur statim pro veris venditet. Non adhibeat principia lubrica, vel ita ancipitia, vt erroribus possint patrocinari, suspecta enim illa sunt & falsa, si generaliter proferuntur. Nihil adseueret, nisi quod per rationem aut liquidam experientiam innotescat. Abstineat a probationibus, quae tantum heic aut ibi valent, ea enim demum vera est probatio, quae vbi que obtinet aequaliter. Non iuret in verba magistri. Dubitet, id est, retineat adsensum tantisper, dum rem euidenter perceperit, dubitare autem de omnibus, nec ab haesitandi consiliis vnquam desistere, id vero scrupuloso indagatoris, neutquam liberalis ingenii, aut sapientis est. Nulli sectae se addicat, caueat autem simul, ne sub eclecticae philosophiae nomine con-

confusum aliquod variarum opinionum chaos ex omnibus sectis conglomeratum, occultare studeat, quod certe fiet, si nullis se plane adstringet principiis, alia ex Aristotelicorum, alia ex Cartesianorum hypothesis, alia ex aliorum fundamentis explicare vellet. Sic enim nunquam ad certam, & constantem adspiraret rerum cognitionem, sed vagae potius libertati, quam verae philosophiae, quae ex certis omnia principiis demonstrat, operam daret, incertis cuncta aut ad summum lubricis fundamentis substerneret. (t)

### §. VIII.

Vitia quoque ex idearum sensualium abusu propullulant, nam dilucidum est Christi effatum: *Qui cunque adspicit mulierem, vt concupiscat eam, iam adulterauit eam in corde suo. Matth. V. 28.* Non simpliciter dicit: qui adspicit mulierem, id enim perse vitiosum non est, sed qui adspicit, vt concupiscat, qui cum teruore quodam adspicit & motu libidinis. Qualis concupiscentia notanter ab Apostolo dicitur *η επιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, concupiscentia oculorum. Iob. II. 16. & 2 Petr. II. 14. inuenimus ὀφθαλμοὺς μετεσθῆτας μοιχαλίδος, oculos plenos adulterii.* (u) Quae duo

&amp;c

(t) Vid. VERVLAMIVS de augm. scient. p. 54--61. CLERICVS Log. part. 2. cap. 9. p. 97. seqq.

(u) Vid. cel. HEVMANNI pœcil. tom. I. p. 415. seqq. CHRYSOSTOMVS ait: *Qui dat operam in venusta corpora intueri curiosus, & pulchras delicatasque ancupari facies, talique animum spectaculo & obscenos pulchris vultibus oculos adfigere, is iam mæchatus est in corde suo. Mars*

C

VII

& Siracides coniungit, cap. IX. vers. 8. Eius rei exemplum est Dauid 2 Sam. XI. 2. & senes illi facie Sussannae delectati, Hist. Sus. v. 32. Quo adspectu vbi semel fascinati sunt oculi, qui sunt in amore duces, iam illico & aliae impudici amoris illecebrae quaeruntur; quibus ad libidine vel allicant inuicem, vel allicantur. Vt pote vel vestes pretiosae atque molles, cum auro & margaritis ad concupiscentiam inflammatantes, de quibus Paulus 1 Tim. II. 9, vel eorum membrorum, quae vulgo pro more gentis tegi solent, & sua indole ad lasciuiam incendunt, denudationes, quibus foeminarum praecipue genus adfuetum est. Vel mistae inuicem de rebus venereis sermocinationes; vel denique procaces contrectationes manuum corporisque, & osculationes. (v) Quaesitum

fuit

*videt hanc, visamque cupit, dicit ovividus Fastor. III. 21.* Ex idearum sensualium abusu quoque vitium intemperantiae profluit, ideo Salomon dicit Prover. XXIII, 31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius.*

(v) De quibus nequitiae magister OVIDIUS: *Spectat eam Tereus, praecontrectatque videndo.* Vnde salutare monitum HIERONYMI est ad Nepotianum: *Solus cum sola secreto & absque arbitro non sedeas: si familiarius quod est loquendum, fac, ut alti interfint.* *Caneto omnes sufficiones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante denita.* *Caneto crebra munuscula & sudoriola & fasciolas & vestes ori applicatas ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas.* Omnes delicias & lepores & risu dignas urbanitates & ceteras ineptias amatorum denita. Nam vt BASILIVS libro de virginitate

ait:

fuit nouissimo tempore, vtrum inter voluptates licitas & comoediarum frequentatio numeranda sit? qua de re integris libris fuit concertatum. Sed illam quaestionem cum cel. DANHAVERO, cuius sententiam in compendium redigimus, ita soluimus. Nefas est seu exhiberi seu spectare ludos idololatricos, blasphemos, soli oculorum auriumque voluptati mancipatos, scandalosos per se, vnde turpititudinem auribus oculisque haurire necessum sit, cum formae inducuntur irritabiles; satyricos item & contumeliosos, editos ab histriionibus, habitu flagitious, iure infamibus, representatoribus vitiorum obscoenorum, sumtuosq; nimiorum prodigis. Fas e contra exhibere & spectare ludos theatrales, academicos, adiaphoros, ingeniosos, ob eam, quam habent coniunctam honestam delectationis utilitatem, amputatis abusibus & circumcisitis profanitatibus, denique animis iuuenium ad feria imbuendis, ad παρέγνωσιν excitandis, ad solem publicum praeparandis, comparatos. Qua in Iudorum theatralium circumscriptione nihil contineri, quod oculos christianos iure meritoque offendat,

dat,  
ait: pulchrorum oscula vitare oportet, velut reptilium virus, eiacylantium morsum. Diffunditur enim venenum voluptatis per osculum in uniuersum corpus. Curā nempe oculorum agenda est, vt quae honeste delestant, videant. Et cura eorum agenda est, ne lasciviae praebent occasionem. Nec enim, ait THEOPHYLACTVS, cura fuerit, siflammam accendas, si caminum ardentiorem reddideris.

dat, aut fomitem praebeat cupiditatibus, omnes facile agnitos esse suum persuasus. (x)

## §. IX.

Superstitionem itidem promouent ideae sensuales, si minus recte adhibentur. Non pauci ex plebe Deum concipiunt, vt senem throno insidentem, angelos, vt iuuenes alatos, sanctos, vt homines quorum capita lucidus circulus cingit. Talia producunt cultum imaginum & ἔθελοθρησκείαν, atque valde corroborantur per ineptias pectorum. (y) Praecepta vere religionis genuina eo redeunt, vt Deum intimius cognoscas, illum caste colas, actiones ad illius voluntatem accurate componas, & post haec fata praemia aut poenas exspectes. Haec cum sint simplicia & vere diuina, tanta pollent efficacia, vt homo his non

solum

(x) Ea oculis videre & auribus audire haud prohibemur, quae delectionem licitam corpori adferunt & honestam. Sic fieri non potest, quin hortorum flores pulcherrimi amoenissimique, & innumera artis opera, stupendo saepe humani ingenii acumine confecta & visui admirandum in modum blandientia, voluptatem oculis adferant prorsus eximiam & singularem.

(y) Vid. IO. FABRICII Theol. Helmstad. *amān. Theol.* p. 87<sup>o</sup> seqq. & M. PHIL. ROHR pictor errans in histor. sacra. Quomodo Deus in oratione concipiendus, ostendit HANNEKENIVS in diss. *de vere religiosi adoratori spiritu & veritate, ad Job. V. 24.* quam sub illius praefatio Witt. a. 1705. defendit BALTH. HENR. DE PLATEN. Adde cel. nostri Profess. D. KAHLERI Dissert. Inaug. *de idolatria deuotis precibus nonnullam innocue admixta,* a. 1731.

solum conuinci, sed etiam affluenter delectari queat. Sed vide quomodo haec dogmata erroribus sint circumsepta? Exhibet superstitione Deum, sed in tot Deos & Deas diuisum, vt vel quilibet pagus peculiares sibi constituerit penates & lares. Et quidem ea ex ratione, vt quilibet manibus & sensibus palparet suos Deos, & eo confidentior bonum exspectare posset, quia difficultas res est, Deum intima abstractione, puramente & fine imagine colere. Sunt homines sensibus adsueti, & hinc error facile propagatur. (z) Omnia autem in superstitione eo tendunt, vt sensus delectentur, quod vnicuique facile patebit, si de origine & progressu huius corruptionis pauca commorabimus. (a) Nemo repertus est opinor, exprimend-

(z) Ita etiam comparatum est cum cultu, quem Deo debemus. Aduertas modo excessum in cultu gentilium, quomodo animus ad mere sensibilia, pompam & simulacra fuerit alligatus, de interno cultu nil habuerint. Quomodo totus cultus in splendidis & operosis exercitiis constiterit, quomodo sacrificuli mediatoris personam induerint, & misere populum deceperint. Considera Stoicorum fastum & superbiam, Aristotelicorum spurious de mentis abstractiua contemplatione conceptus, Platonicorum entusiasmum, Epicureorum enormes in moribus defectus; nihilo minus tamen, quia pleraque in sensu incurabant, applausum inueniebant.

(a) Numerum Deorum ad triginta millia extendit HESIODVS *Oper. vers. 250.* Ad hunc locum prouocat sextus EMPIRICVS *adu. Physicos* fin. l. 9. sect. 86. p. 571. ed. FABRICII. Quae PLINIVS de origine polytheisini habet

dentioribus gentilium, qui plures Deos summos agnosceret, vel coleret. (b) Summum enim Numen nonnisi unicum esse potest, unde & mythica Theologia habet suum Iouem, reliquorum Deorum praesidem. (c) Neque statuas & imagines pro Diis agnouerunt, sed pro externis mnemosynis, symbolisque Deos repraesentantibus. Quid vulgus ethnorum senserit, inquire nihil attinet. Vulgus raro curat religionem, sed ventrem & religionis crepundia. Philosophi quidem ridebant polytheismum & vulgi persuasiones: at neque sic tamen doctrina eorum de Deo erat sana. Nonnulli parui faciebant religionem: alii alios fouebant errores. Hinc vulgus fabulas, philosophi, si paucos recte sentientes excipias, dubia sectabantur & coniecturas. Ignorabant enim lumen sublimius: lumen vero paedagogicum aut negligebant, aut per subtile speculationes corrumpebant. (d) Ceterum origo & progressus superstitionis paucis describi debent. Homo ex rationis praescripto Deum debet amare &

co-  
bet, adfert & illustrat excell. GESNERVS Chrestom. p. 25.  
seqq.

(b) Conf. FABRICIVS bibliogr. antiqu. cap. 8. sect. 5. seqq. p. 232. seqq.  
MOSHEMIVS cogit. in noui foederis loc. select. lib. 1. p. 86. seqq.  
Legatur integrum caput de ignoto Atticorum Deo.  
Addatur CONRINGIVS & STOLLIVS ad Grotium de V. R.  
C. apud KOECHERV M p. 41. seqq.

(c) Vid. HISTOIRE DE LA PHILOSOPHIE PAYENNE tom. I. cap. 3.  
p. 86. seqq. incomparabilis HEVMANNVS ad Grotium  
de V. R. C. apud KOECHERV M p. 44. 45.

(d) Conf. TURRETINVS Opus. var. gen. tom. 2. p. 161. seqq.

colere, res creatas contemplari, in usum suum eas vertere, praecipue vero in iis admirari sapientiam, benignitatem, potentiam creatoris. Sed plerumque inuerit hunc ordinem, & vehementi rapitur affectu in res creatas, quae ceu visibiles, magis mouent. Ita tandem eousque progrederit, vt unicum in his quaerat gaudium, summam delectationem, inconspicuum contra creatorem & conseruatorem uniuersi negligat. Orta fuit hac ratione primum idololatria & supersticio priuata seu domestica. Si enim contingere, parentes liberorum funera, turbato mortalitatis ordine, sepelire, hinc lacrimae, hinc simulacra, saltem vt aliqua superesset charissimorum pignorum recordatio, hinc tandem mortuorum cultus, apud Sinenses antiquam fane gentem, adhuc receptus. (e) Institutis regnis supersticio publica erexit caput, introductio regum & heroum cultus. Exinde factum, vt non pauci de humano genere praecclare meriti numero Deorum adscriberentur, virtutibus equidem interdum, sed & non raro vitiis, celebres & famosi. (f) Corpora caelestia maxima & adspectu pulcherrima,

inter

(e) Docetur hoc Sapient. XIV. 13. 14. 15. omnibusque nota sunt quiae ven. BVDEVS de supersticio mortuorum apud Sinenses cultus scripsit.

(f) Pertinet huc simulacrum aureum regis Babylonici Dan. III. 1. seqq. Accessit adulatio quae in tantum creuit, vt viui & videntes numerum caelitum augerent principes. Hinc ovidius Trist. II. vers. 53. 54. ad Augustum:

Per mare, per terras, per tertianum in iuro,  
Per te praesentem conspicuumque Deum.

inter quae sol eminet, mouerunt homines, vt tanquam visibilia diuinitatis indicia intuerentur ea, & colerent. Promouit hanc superstitionem opinio, ea esse habitacula geniorum, intelligentiarum, daemonum. En originem *cultus astrorum* & daemonologiae. (g) Quando semel in praecipitia prolabuntur homines, vix est in illorum potestate, sistere gradum. Hinc tandem, ad eam absurditatem progreffi sunt Aegyptii, vt omnia aliquam ex quibus utilitatem capere possent, vel a quibus noxae quidpiam metuerent, sacra haberent. Inde *animalium & plantarum cultus*. (h) Ex dictis illustrari potest distinctio theologiae

(g) Vid. PRIDEAVX *connex. hist. sacrae & prof.* tom. I. p. 224. seqq. Cultus herorum & astrorum videtur indicari in Scriptura per cultum *Baalim & Astaroth*, de quo *Iud. II, 13. X, 6. 2 Reg. XXIII, 13.* Constat enim *Baal*, ex quo *Bel, Belus*, non esse nomen proprium, sed significare *Dominum*. Spectat huc & cultus *Molochi*, cui liberos immolauit superstitiosa crudelitas. Originem ritus truculenti & naturae repugnantis perdoce inuestigat GROTIUS ad Deut. XVIII, 10.

(h) Dementiam istam ridet IVVENALIS sat. XV. PLINIVS hist. nat. II. 7. 5. obsoena etiam aliqua, ac mulra dictu magis pudenda pro Diis habita commemorat, cuius portentosae superstitionis exemplum, strepitum, per pudenda corporis expressum, adfert MINVCIVS FELIX p. 279. ed. HACKIANAE 1672. 8. Conf. MENAGIANA tom. I. p. 337. Sunt, qui defendunt Aegyptios, quod ex instituto facere voluit ANDR. ACOLVTHVS, qui opus de lingua & sapientia Aegyptiaca restituta molitus est, quod tamen lucem non adspexit, vid. EIVS

spec.

logiae gentilis in mythicam, physicam, politicam. Mythica poetarum erat historia herorum, quos in Deorum numerum retulerant, nugis deformata: physica philosophorum erat historiae iktius interpretatione arcana, & interdum satis absurda, pudebat enim eos, tam turpia Deorum facta publice extare: politica vulgi historiae heroico-fabulosa ad cultum ceremonialem atque theatralem a callidis sacerdotibus instituta applicatio, cuius erat summa, vt sacra fierent Cereri, Baccho, Veneri. (i)

## §. X.

Viuidius autem hominem adficiunt ideae sensuales quam intellectuales, & exinde tota vitiorum catena profluit, nisi in tempore obex ponatur. Quando aliquis furi poenas aeternas propter flagitia sua denunciat, aliis autem ipsi patibulum ostendit, ultima tanquam sensualis idea longe maiorem habebit impressionem. Ita comparatum erat cum Dauide, noverat praeceptum diuinum, de adulterio haud perpetrando exactissime, poterat aliis illud explicare, mentemque Dei intuitu huius mandati clarissime ostendere; sed idearum sensualium culpa, quae ipsi nimis viuide Bathsebae pulchritudinem repreäsentabant, in maximum incidebat crimen. Quicunque igitur

spec. Alcor. p. 30. Adi interea HEVMANNI Act. phil. tom. II. p. 672. seqq. De boue sacro Aegyptiorum *Api*, qui *Osiris* etiam vocatur, legi potest PRIDEAVX hist. V. T. part. I. p. 215. seqq.

(i) Plura dixit b. PARENTS comm. de Pyrrh. hist. p. 155. seqq.

D

gitur veritatis ac virtutis genuinus cultor est, debet omnes suas cogitationes eo dirigere, ut semper ideas puras cum sensualibus coniungat, quando illi notio communicatur quaerere debet: cuius haec imago & inscriptio est? (k) Tunc solida eruditio in mente ostentetur, & veri nominis felicitas animam occupabit.

Quod ut fiat L. B. impense optamus.

(k) Vid. LEHMANNI Vern. Lehre p. 613, seqq.

\* \* \*

## COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. Omnis Philosophus est Eclecticus. II. Non vituperandus est Pythagoras, quod se non sophum sed philosophum appellauerit. III. Qui putant philosophiam non esse addiscendam, desipiunt. IV. Dantur gradus veritatis. V. Carolus M. Desiderium iniuste debellauit. VI. Saxones iusto titulo haud acquisiuerent Britanniam. VII. Nefarium profecto est censendum Caroli M. factum, quod Saxonibus bellum intulit. VIII. Saxones quamuis a Carolo M. fuerint subacti, fisco tamen non fuere adscripti. IX. Constantinus quidem vocatus est magnus, ast ego dicerem: magnus fuit naevis non virtutibus. X. Conratinus nefario est occisus. XI. Ius naturae non sublatum est lege civili. XII. Si quaeritur: num liceat interficere legatum tempore belli missum? respondeo: nec iure naturae nec gentium.

Sext zeigt Du, werther Freund! uns durch  
Dein Beyspiel an,  
Was unverdroßner Fleiß vor Ruhm erlangen  
kan.

So fahre ferner fort Dich immerhin zu üben:  
Es werden Groß und Klein Dich nach Verdiensten  
lieben.

Hierdurch hat dem Herrn Respondenti wegen  
seines abgelegten gelehrten Speciminiis  
schuldigst gratuliren sollen Dessen aufrichtigster Diener

J. J. Windt.

Arma parent alii Marti deuota cruento;  
Optima, Tu, Musis arma sacrata paras.  
Dum nostram tentas cum laude subire palaestram,  
Multiplicesque studes promere mentis opes.  
Sic monstras animi dotes & munera magna,  
Haec certe ingenio digna palaestra Tuo.  
Ergo Tuas canerem laudes si Musa faueret,  
Sed quid opus laudem concelebrare Tuam?  
Facta loquuntur enim satis. Ergo fausta vowebo:  
Eueniant studiis premeria digna Tuis,  
Sic pergas almae Themidos studiumque sophiae,  
Felici nexu iungere, magnus eris.

Nobilissimo DOMINO RESPONDENTI de egregio solidae eruditiois specimine gratulaturus scripsit

IVSTVS FRIDERICVS BIERLING,  
OPPONENS.

Heit' rer

Sext

Heiterer Himmel, süßer Regen  
 Und des Höchsten reicher Segen  
 Ist es was uns glücklich macht.  
 Kan ich wünschend Dich beglücken?  
 Wünsch ich einen solchen Schatz.  
 Machst Du ihm durch Tugend Platz,  
 Wird er keinen Unfall schicken.

Dieses fruchtbare Wetter und des Himmels Segen  
 wolte hie mit Deinen studiis von Herzen au-  
 preisen Dein verbündenster

J. C. Bornemann / OPPONENS,  
 Iur. ac elegantior. litterar. Stud.

Siccine iudicii profers documenta, Tuique  
 Vires ingenii, SVAVIS AMICE, probas?  
 Fecundus amicitiae me candida fundere vota,  
 Veraque laetitiae prodere signa iubet.  
 Gratulor hinc studii testes, doctasque laborum  
 Primitias, stupuit quas studiosa cohors.  
 Perge bonis auibus Sophiae transcendere culmen,  
 Atque apices sacrae perdidicisse Themis.  
 Tum Te nostra suum iaetabit Patria ciuem,  
 Magnaque Cattiaceae gloria gentis eris.  
 Perge fauore Tuo me porro amplectier, atque  
 Ut paucis dicam, dilige! viue! vige!

*Sic Amico Amicus*

I. P. HEPPE, OPPONENS,  
 Cassellis Hassus.

